

secundum: ergo, dempto hoc capite distinctionis, non manet distinctio inter illas. ¶ *Explicatur:* Itz duz propositiones sunt contradictoriae, *Nulla alia ratio distinctionis defacto est in divinis, nisi per hoc quod persona aliqua sit, vel procedat ab altera. Aliqua ratio distinctionis in divinis est defacto, praeter hoc quod aliqua persona sit, vel procedat ab altera:* ergo necessario debet esse aliqua falsa; sed prima non est, cum asseratur a Concilio: ergo secunda: quam defendit & propugnat Scotus.

135 Deinde probatur ratione D. Thomae in hoc, aliisque locis, quae potest ad hanc formam reduci: In divinis non datur aliqua distinctio realis nisi inter relationes, prout sunt oppositae & correlativae inter se; sed relationes nequeant opponi inter se, nisi secundum originem, quae vna persona est ab alia: ergo si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non diceret relationem oppositam Filio, ac proinde nec distincta gueretur realiter ab illo. Maior est certa, & admittitur ab omnibus Theologis, iuxta illud axioma Boetij lib. de Trinitate. quod apud aliquos ortum habuit a Sancto Anselmo: *In divinis omnia sunt idem, ubi non obstat relationis oppositio:* ergo ad distinctionem realem non sufficiunt relationes utraque, sed requiritur ulterius, quod inter eas detur verus oppositio relativa. Quapropter est in Patre detur paternitas, & spiratio activa, ratione quarum verè opponitur relative Filio, & Spiritui sancto; at tamen inter se non distinguuntur realiter paternitas & spiratio activa, est utraque sit vera & realis relatio. Minor probatur: Non possunt relationes opponi inter se relative, nisi inquantum relatio & terminus relationis: paternitas enim non exercet suam oppositionem relativam nisi cum relatione filiationis, quam respicit, quia Pater ut Pater solum respicit ut terminum Filium; sed in divinis nequit dari correlatio ad invicem, nec ratio termini filiationis ut *relati*, nisi ubi datur processio realis: ergo ubi haec deficit, deficit etiam oppositio relativa. Probatur minor: Correlatio realis requirit extrema realiter distincta: Vel ergo haec extrema supponuntur distincta ante relationem & eius fundamentum, vel ipsa relatione & fundamento distinguuntur? Primum dici non potest, cum non detur ante relationem nisi distinctio absoluta, quae coincidit cum distinctione naturarum. Si secundum dicatur: ergo ponuntur distincta ipsa relatione & fundamento; sed fundamentum est origo vnius personae ab alia: ergo opponuntur formaliter relative & consequenter sunt distinctae per ipsam originem.

136 Respondent Scotista, relationes habere duplicem oppositionem, aliam proprie relativam, aliam disparatam. In casu, quo Spiritus sanctus non procederet a Filio, distinguuntur inter se relationibus, sed non quarantur

opponuntur formaliter relative, sed disparatè: ac proinde possent distinguí realiter, estò vnum non procederet ab alio.

Sed contra: Nam vt distinguuntur realiter, inter se, non sufficit, quòd opponantur disparatè, & quòd hæc oppositio verteretur inter relationes, sed insuper requiritur, quòd opponantur proprie relative; hoc non concedit Scotus, ergo nec debet concedere distinctionem. Maior probatur: Tum, quia paternitas, & spiratio activa sunt relationes, opponunturque disparatè, & tamen non distinguuntur realiter. Tum etiam: quia estò oppositio disparata sufficiat ad distinctionem realem in creatis, quia limitata sunt non verò in divinis ob oppositam rationem. Tum denique: maior oppositio disparata ut *relati* est inter absolutum & relativum, quam inter duo relativa, ut ex se constat; & tamen inter absolutum, & relativum non facit distinctionem in divinis illa oppositio disparata: ergo multò minus inter relativum, & relativum.

137 Respondent iterum Scotista, distinctionem disparatam esse duplicem, aliam formalem, aliam verò realem. Prima solum facit distinguí formaliter, non verò realiter: & sic contingit in exemplis allatis. Secunda facit extrema distinguí realiter, quae vnicè invenitur inter Filium, & Spiritum sanctum. Rationem verò huius diversitatis assignant ex eo, quòd ad secundam intervenit impossibilitas in eadem persona, non verò ad primam. ¶ Sed quia adhuc Thomista recognoscunt in hac solutione petitionem principii, exposcunt radicem huius incommunicabilitatis, & impossibilitatis inter filiationem, & spirationem passivam, & non inter illa predicata recensita. Et assignant illam in eo, quòd spiratio activa, & paternitas non sunt proprietates constituentes diversas personas (& idem asserendum est de predicatis absolutis) at filiatio, & spiratio passiva constituunt diversas personas, de quarum ratione est ex genere incommunicabilitatis.

Sed hæc solutio adhuc non dissolvit vires nostrae rationis, & nostro iudicio hoc vltimum, sicut & primum, petit manifestè principium. Nam imgrimis, semel quòd Spiritus sanctus non procedat a Filio, non est ratio, quare filiatio non possit communicari Spiritui sancto & spiratio passiva Filio: ergo. Probatur antecedens: semel quòd filiatio non procederet a Patre, non est ratio, quare non possit communicari Patri, & e contra: ergo similiter &c. Antecedens debet admitti à Scoto; alias sine processione posset salvari, Patrem & Filium esse personas distinctas. Hoc autem admittit: Inquiri, tunc Pater & Filius habent plures naturas, vel non? Si dicatur primum: est concedere plures Deos. Si dicatur secundum: est contra D. Hilarium, ut vidimus disp. r. num. 5. ergo in tali hypothese debebat concedere non esse Patrem & Filium ad invicem

incommunicabiles: Quare ergo idem dicendum non est de filio, & Spiritu sancto.

Deinde: quòd petat principium constat: Nam semper queritur Scotista ratio, cur filiatio, & spiratio passiva constituunt personas realiter, & non tantum virtualiter distinctas adhuc in suppositione, quòd quilibet ex his relationibus constituit suam personam. Dicere autem, quòd si procedant ut personae, debent esse inter se incommunicabiles, & realiter distinctae, quia de ratione personae est incommunicabilitas, est concedere in divinis distinctionem realem, quae non connotet, aut supponat, aut asserat oppositionem relativam, & processione vnius personae ab alia, & hoc est, quòd praecipue inquirunt in presenti, an in divinis possit dari distinctio realis inter personas absque eo, quòd vna procedat ab alia: unde praedicta solutio petit principium. Adde: Nam propterea defacto incommunicabilitas est de ratione personae, quia defacto vel sunt limitata, ut in creatis, vel sunt opposita relative, ut in divinis: ergo deficiente limitatione, & oppositione relativa, non restat caput, ex quo incommunicabilitas sit de ratione personae; sed in hypothese quaestio nis utraque caput supponitur deficere: ergo tunc incommunicabilitas non esset de ratione personae.

138 Sed respondent Scotista, quòd processiones sunt quidem radix, quare relationes supra relatae constituunt personas: sed non requiritur, ut sint distinctae, quòd vna persona procedat ab alia, sed sufficit, quòd vtraque procedat diversis & adequatis processioibus ab eodem principio: siquidem hoc ipso, quòd Pater habeat processiones adequatè diversas, earum termini debent distinguí realiter. Hoc est principale assylum Scotistarum.

Sed facile dispellitur. Nam termini actionum non sunt inter se incommunicabiles & distincti, nisi vel relative opponantur, vel sint finiti, & procedant à processioibus realiter diversis; nec in creatis, nec in divinis potest dari aliud caput distinctionis; sed in divinis, estò processiones sint adequatae, nullum est huius salutare, ex suppositione quòd Spiritus sanctus non procedat a Filio: ergo. Minor quoad primam, & secundam partem constat, & eam supponunt Scotista. Quoad tertiam probatur: nam vel processiones activae consistunt in ipsis relationibus producentibus, vel in predicatis absolutis connotantibus relationes producentes in praedicta hypothese, quidquid asseratur, processiones activae non distinguuntur realiter: ergo. Probatur minor quoad primam partem: si enim consistunt in ipsis relationibus, sunt paternitas & spiratio activa: sed illae non distinguuntur realiter: ergo nec processiones. Quoad secundam etiam probatur: nam si consistunt in predicatis absolutis connotando relationes, idem dicendum est, ac de ipsis relationibus, cum ex vna parte in absolutis non detur distinctio realis, & ex alia non connotent nisi rela-

tiones praedictas ergo non est caput, à quo distinguantur processiones, ac proinde nec termini.

Explicatur hoc: Quando termini distinguuntur realiter, vel est, quia processiones activae sunt distinctae realiter, vel quia processiones passivae acceptae distinguuntur; neutrum dici potest in divinis, si semel Spiritus sanctus non procedat à Verbo: ergo nec termini. Probatur minor: Non primum: quia processiones activae sumptae sunt actus intellectus & voluntatis, ut tenet Scotus, sed actus intellectus & voluntatis in tali casu non distinguuntur realiter, neque quoad rectum, ut supponitur; neque quoad connotatum, cum connotent praecise paternitatem & spirationem activam, quae in nullo casu distinguuntur realiter: ergo. Nec secundum: Nam processiones passivae sumptae sunt ipsae relationes productae; sed si non dicantur oppositionem relativam originis, non distinguuntur nec ex vi processioem, nec ex vi oppositionis: ergo.

Confirmatur: Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, Filius distingueretur realiter à spiratione activa: ergo Filius esset Spiritus sanctus. Consequentia est legitima: quia solus Spiritus sanctus distinguatur à spiratione activa. Antecedens verò probatur: Filius non haberet spirationem activam, alias spiraret Spiritum sanctum: ergo distingueretur ab illa. Probatur consequentia: Si non haberet spirationem activam, esset illi incommunicabilis, & consequenter realiter oppositus cum illa; & esset spirabilis realiter ab illa: quae duo sunt signum distinctionis realis.

139 Ultimo respondent Scotista dicendo, rationem nostram: & D. Thomae, si est efficax, suadet, re origine esse rationem a priori inter personas. Quod tamen est fallum: nam ratio a priori est proprietatis personalis illarum: sicut in creatis non ideo personae distinguuntur, quia procedunt diversis productionibus, sed e converso. Cui solutioni favere videntur N. Salm. in praef. num. 95. Ex quo intetur primò, quòd, estò processiones non essent, personae distinguerentur. Secundo, quòd distinctio inter illas, estò verteretur inter relationes, tantum est disparata.

Sed contra est primò: Nam si hæc solutio aliquid convinceret, suaderet, Patrem distinguí à Filio independentè à generatione seu processione, ut ex se constat; hoc non admittit Scotus: & merito, quia videtur ridiculum, Patrem distinguí à Filio sive in creatis, sive in divinis omnino independentè à generatione: ergo. ¶ Secundo: Nam licet distinctio adequata inter Patrem, & Filium procedat ex parte Patris tanquam à ratione à priori à relatione; ex parte tamen Filij procedit tanquam à ratione à priori saltem de connotato à processione: ergo similiter licet Filius distinguatur à Spiritu sancto per relationem tanquam à ratione à priori, Spiritus sanctus nequit distinguí à Filio, nisi supposita processione tanquam ratione à priori saltem de connotato. Consequentia est legitima à paritate. Q 2 §. III.

S. III.

Scoti argumenta.

140 **A**rguitur primò: Filius constituitur in esse incommunicabilis per filiationem: ergo per eam constituitur ut indistinctus in se, & distinctus à quolibet alio: ergo est Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc distingueretur personaliter à Filio per proprietatem personalem constitutivam illius, & Spiritus sancti. ¶ *Secundò*: Processio, & generatio passiva sunt relationes disparatae, quae nequeant eidem personae convenire: ergo, est non procederet Spiritus sanctus à Filio, essent duae personae realiter distinctae. ¶ *Tertiò*: Nam si Spiritus sanctus procederet à Filio, & non à Patre, distingueretur non solum à Filio, sed etiam à Patre, vt tenent communiter Theologi: ergo similiter, etsi non procederet à Filio, etiam distingueretur non solum à Patre, sed etiam à Filio. ¶ *Quartò*: Spiritus sanctus defectò distingueretur realiter personaliter à Filio: ergo per aliquid personale; sed filiatio est proprietates constitutiva filij in ratione personae, & non spiratio activa: ergo est Filius non haberet spirationem activam, nec produceret Spiritum sanctum, adhuc distingueretur realiter ab illo. Prima consequentia constat: nam si aliquid distinguitur ab alio essentialiter, distinguatur debet ab illo per aliquid essentialiter, si accidentaliter, per aliquid accidentale; si realiter, per aliquid reale: ergo si personaliter, per aliquid personale.

Quintò: Implicat, eandem personam per intellectum & voluntatem procedere; sed in huiusmodi hypothese Spiritus sanctus procederet per voluntatem, & Filius per intellectum: ergo non essent eadem persona. Quapropter D. Anselmus lib. de Process. Spiritus sancti dicit: *Habent omnia Pater, Filius, & Spiritus sanctus: sed diversimodè, quia alter nascendo, alter procedendo.* ¶ *Sextò*: Filiatio, & spiratio passiva distinguuntur realiter; & tamen non opponuntur relative, vt ex se constat: ergo absque oppositione relativa datur in divinis defectò distinctio realis. ¶ *Septimò*: Etsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius esset genitus, & non spiratus, & Spiritus sanctus esset spiratus, & non genitus, cum Filius procederet per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: ergo non essent realiter idem.

141 Ad primum responderetur, in tali casu Filium constitui incommunicabilem respectu Patris, cum quo opponitur correlativè media generatione, non verò incommunicabilem Spiritui sancto, nisi iuxta sensum infra explicandum, quia illi non opponeretur correlativè: sicut spiratio activa reddit Patrem formaliter in-

communicabilem Spiritui sancto; quia opponitur per illam relative, non tamen reddit Patrem incommunicabilem Filio, quia per eam non opponitur illi relative, sed disparatè. ¶ Ad secundum responderetur, oppositionem disparatam non sufficere ad distinctionem realem, nisi quando adiungitur limitatio: vt videre liquet in exemplo supra relato, & in attributo misericordiae, & iustitiae, in quibus datur oppositio disparata absque distinctione reali ob earentiam omnium limitationis. Et certe, si hæc oppositio sufficeret ex genere ad distinctionem realem, nulla daretur disparitas ex vi huius capitis inter exempla relata ex vna parte, & ex alia inter filiationem & spirationem passivam; cum daretur similis oppositio disparata: sicut in creatis eadem distinctio realis datur inter relationem paternitatis & similitudinis, ac inter misericordiam & iustitiam, quia gaudent eadem limitationem & oppositione disparata. Similiter ergo in divinis filiatio, & spiratio passiva debent gaudere eadem distinctione, quia gaudent misericordia & iustitia, si habent eandem oppositionem disparatam, cum habeant eandem limitationem.

142 Ad tertium responderetur, concedendo antecedentes; & negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quòd in prima hypothese, in qua Spiritus sanctus non procederet à Patre, vel Patre conservaret eandem relationem spirativam, vel non? Si dicatur primum, certum est, quòd diceret oppositionem relativam, sicut Filius, licet non procederet à Patre, quia haberet ipsam rationem formalem, qua Filius opponitur Spiritui sancto. Nec refert, quòd tunc non procederet: Quia hoc est per accidens. Si dicatur secundum, itaque communicando Filio spirationem activam, in se illam non conservaret; adhuc in hac hypothese distingueretur à Spiritu sancto, quia diceret oppositionem relativam mediatam cum illo. Ad hoc enim sufficit, quòd Pater per veram processionem illam communicet Filio: quia eo ipso Pater est virtualiter produccens Spiritum sanctum, iuxta illud axioma, *Quod est causa cause, est causa causati in eodem genere cause*: Sicut in creatis avus concurrat radicaliter ad productionem nepotis; quando tamen ita est causa filij, & Filius ita est causa nepotis, quod non possit ab alijs causis provenire. Quod in nostra sententia adeò certum est, vt oppositum sit omninò impossibile: alias idem numero effectus posset provenire à duplici causa totali saltem divisi. Per quod pracluditur quedam tacita obiectio. At in nostra hypothese, quòd Spiritus sanctus non procederet à Filio, Filius nec proxime, nec remotè produceret Spiritum sanctum, ne dicatur, quòd Pater procederet à Filio, quod est plusquam ridiculum. Vnde nequit diceri oppositionem relativam proximam, nec remotam cum illo, ac proinde nec distinctionem.

Sed

143 Sed replicabis contra hanc solutionem. Primò: quia ex illa sequitur, Spiritum sanctum referri nunc defectò ad Patrem tanquam ad spiratorem mediatum, & immediatum: sed hoc non videtur admitendum: ergo solutio data ruit. Probatur sequela: Nam defectò Spiritus sanctus procedit à Patre tanquam à spiratore non minus immediate ac à Filio, vt fides docet; alias etiam procedit ab illo tanquam à spiratore mediato, cum Filius spiret per virtutem acceptam à Patre: ergo.

Secundò sequitur etiam ex hac solutione, Spiritum sanctum opponi relative cum Patre vt generante; hoc est falsum, cum solum genitum vt tale opponatur cum generante vt tali immediate, si est genitum immediate; mediate, si est genitum mediate, vt contingit in nepote respectu avi: ergo sequela probatur: nam Filius non accipit virtutem spirandi à Patre, nisi vt à generante, cum per generationem communicet illi formaliter omnia, quae habet Filius.

Et confirmatur: Concursum, quem habet Pater in Filium, ad eam terminatur in Filio: ergo non transit ad Spiritum sanctum: ergo nequit dici in illo casu causa mediatæ illius. Antecedens videtur certum: nam concursus Patris est generatio; sed generatio tantum astitit in Filio, ad cuius essentiam terminatur primariò, & ad proprietates secundariò: ergo Consequentia verò probatur. Nam quando aliqua actio ad eam adest in vno termino id, quod ex tali termino oritur, nequit dici effectus illius actionis: v.g. quia creatio Angeli habet pro termino ad eam personam Angeli, & eius operationes, quae sunt in primo instanti, non terminatur adhuc mediate ad actiones, quae sunt in secundo.

144 Ad primum responderetur, non esse inconveniens concedere, Spiritum sanctum referri mediate, & immediate ad Patrem sub diversa consideratione, sicut nec produci mediate, & immediate à Patre sub duplici formalitate. Nam hæc propositio, *Spiritus sanctus procedit immediate à Patre*, est vera, quatenus producit illum per virtutem & actum immediate illi convenientem, & immediate terminatum ad Spiritum sanctum. Deinde etiam hæc est vera, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium*; quod est idem ac dicere, quòd procedit à Patre mediate, vt inquit D. Thomas in praef. 3. Quapropter dixit Caietanus, hoc potest dici, considerando Spiritum sanctum prout est à Patre mediatè, secus verò vt est ab illo immediate, quatenus per hanc propositionem innuitur, quòd Spiritus sanctus procedit à Filio per virtutem spirativam acceptam à Patre.

Ad secundam responderetur, negando sequelam: Nam Pater vt generans solum denominatur generans in ordine ad id, quod producit per actionem generativam, vel immediate, vel per resultantiam; non verò in ordine ad

id, quod producit per aliam actionem, estò ex virtute accepta per generationem: vt constat in motu locali Petri, respectu cuius non potest dici causa eius Pater; estò ab illo recipiat per generationem virtutem locomotivam. Vnde cum Spiritus sanctus procedat per aliam actionem distinctam à generativa, non debet referri ad Patrem mediatè vt generantem. At cum hoc componitur, quòd refertur mediatè ad illum tanquam ad causam mediatam sui esse spirati. ¶ Per quod constat ad confirmationem: Generatio enim Patris solum denominatur talis respectu eorum, quae vel primariò, vel secundariò terminant eam actionem; non verò respectu eorum, quae Filius ex virtute accepta per generationem producit per aliam actionem, quae non est generativa: sicut contingit in Spiritu sancto.

Ad quartum argumentum responderetur dupliciter. Primò, Filium defectò distingui à Spiritu sancto; sed potest considerari vel secundum relationem filiationis, vel secundum relationem spirationis. Secundum primam considerationem Filius distinguitur formaliter à Patre, quia per filiationem dicit cum illo proximam oppositionem relativam; à Spiritu sancto tantum distinguitur defectò realiter radicaliter iuxta modum oppositionis, quia defectò solum opponitur proximè cum illo per relationem spirationis activae, quae radicitus in ipsa filiatione. Si autem Spiritus sanctus non procederet à Filio, esset, quia tunc non radicaret spirationem activam, ratione cuius defectò Filius habet oppositionem relativam cum Spiritu sancto, ac proinde non distingueretur adhuc radicaliter ab illo.

145 Sed replicabis: Filius per filiationem non solum distinguitur radicaliter à Spiritu sancto, sed etiam formaliter: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Omnes tres personae divinae inquantum tales, hoc est in ratione personae, defectò distinguuntur realiter formaliter; sed nulla persona potest per spirationem activam distinguatur in ratione personae à Spiritu sancto, cum per spirationem activam non constituitur in ratione personae ergo.

Respondetur ad hanc replicam iuxta solutionem datam, personas divinas, etsi distinctas realiter inter se, non tamen distinguuntur realiter inter se eodem modo, sed iuxta distributionem accommodatam, & iuxta qualitatem oppositionis relativae, quae non est eodem modo in omnibus illis: vnde nec debet esse distinctio inter illas, si considerentur vt persona, eodem modo. Pater enim & Filius dicunt oppositionem immediatam inter se in ipsa ratione personali: idè debent etiam inter se distinguatur realiter formaliter in ratione talium. At Pater & Filius in ratione personae non dicunt oppositionem immediatam cum Spiritu sancto, sed tantum inquantum radicanem spirati-

spiracionem activam; & ideo in ratione *persona* non debent distingui formaliter à Spiritu-sancto, sed tantum radicaliter. Filius verò, si non radicaretur spiracionem activam, nec formaliter, nec radicaliter distingueretur à Spiritu-sancto, cum neutro modo in tali hypothefi illi opponeretur.

145. Secundo potest responderi, concedendo defecto Patrem, & Filium distingui realiter formaliter ratione filiationis, & paternitatis à Spiritu-sancto: quia ad hanc distinctionem sufficit oppositio radicalis personalis. Iuxta quam solutionem filio (v. g.) potest considerari, vel quatenus precise respicit Patrem, secundum quod explicat tantum conceptum inadæquatum filiationis; & iuxta hunc conceptum solum exprimit distinctionem formalem à Patre. Sed adhuc restat in filiatione alius conceptus inadæquatus, secundum quem radicatur spiracionem activam: uterque ille conceptus est de essentia filiationis, ut diximus dub. præc. §. 1. Secundum hunc ergo posteriorem conceptum exprimit distinctionem realem formalem à Spiritu-sancto.

147. Nec contra hanc solutionem habet vim, si dicas: *Primo*, quod esse radicaliter spiracionem non est proprium Filij, sed etiam Patris: ergo nequit esse ratio distinctionis personalis Filij. Consequentia est legitima: nam distinctio personalis debet esse secundum propria ipsius persone. ¶ *Secundo*: Nam spiratio passiva est vna in specie atoma: ergo respicit Patrem, & Filium secundum vnam rationem communem. Consequentia patet: nam si relatio est vna, etiam terminus debet esse vnus formaliter: ergo spiratio activa tam formalis, quam radicalis est vna formalissime in Patre & in Filio.

Ad primam responderetur, esse radicaliter spiracionem posse sumi dupliciter, vel genericè, vel specificè: Primo modo est commune Patri & Filio: Secundo modo non est commune: nam Pater secundum propria Patris, & Filius secundum propria Filij petunt radicari spiracionem activam. ¶ Ad secundam responderetur, ad unitatem specificam spiracionis passivæ sufficere, quod terminus formalis & immediatus sit idem formaliter; licet terminus materialis, per se tamen inspectus, sit diversus; dummodo sit inadæquatus termino formali, & primario: paternitas & filio tantum sunt terminus materialis, per se tamen inspectus à spiracione passiva, suntque inadæquate respectu spiracionis activæ, quæ est terminus formalis: unde etiam sunt plures, non obstante unitate spiracionis passivæ.

Ad quintam responderetur in forma: eandem personam tam virtualiter, quam realiter, concedo maiorem; realiter eandem, & virtualiter diversam, nego maiorem. Et, contra minima, distinguitur consequens eodem

modo: nam in tali casu essent duæ personæ virtualiter distinctæ, sicut & processiones essent virtualiter diversæ. Licet enim duæ processiones, ut modo sunt, nequeant terminari ad eandem personam realiter, quia nunc datur ordo originis inter illas; si autem iste auferatur, necessariò & ab intrinseco auferetur distinctio. Unde non obest, quòd Filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: quia tunc casus Spiritus-sanctus identice procederet per intellectum, & Filius identice per voluntatem: sicut intellectio essentialis identice est volitio. Quapropter D. Thomas quæst. 9. de Pot. art. 4. ad 5. inquit: *Dicendum, quòd fortè ille modus processionsis dicitur, quo Filius dicitur procedere per modum intellectus, & Spiritus-sanctus per modum voluntatis, non sufficit ad distinguendum personalem Spiritum-sanctum à Filio; cum voluntas & intellectus non distinguantur in divinis.* Quid clariùs?

148. Sed dices: Filius tunc casus procederet ut persona; cum illi communicaretur per se natura sicut nunc, & filio est per se subsistens; sed etiam Spiritus-sanctus procederet ut persona saltem identice: cum etiam communicaretur illi natura: ergo essent realiter distincti. Patet consequentia: nam de ratione *persona* est, quòd sit incommunicabilis. Maior est certa. Et minor probatur: si Spiritus-sanctus non procederet ut *persona*, se haberet ut proprietas Filij; sed in tali casu nequit se habere ut proprietas Filij; aliàs produceretur secundario per intellectum, & nullo modo per voluntatem, sicut communicatur Filio spiratio activa; quod est falsum: ergo.

Ad hanc obiectionem responderetur, concedendo procedere ut *personas*, sed non realiter distinctas, sed tantum virtualiter: quia inter se non haberent oppositionem relativam. Ad probationem consequentiæ responderetur, de ratione *persona* esse incommunicabilitatem, quando finita sunt, & absolute; non vero relativa, nisi obest oppositio relativa fundata in origine. Quare in prædicto casu essent persone divine, ut supponitur; & non essent oppositæ relative, ut Adversarij concedunt: unde etiam essent incommunicabiles respectu Patris, cum quo dicerent oppositionem relativam, non verò inter se ob oppositam rationem.

149. Sed contra hanc solutionem infurges: ex illa sequi, spiracionem activam nunc existentem esse subsistentiam distinctam virtualiter à subsistentia filiationis, & paternitatis, constitutæque quartam personam virtualiter divinam etiam à persona Patris & Filij, & realiter à Spiritu-sancto; sed hoc non est admittendum, utpote contra N. Salm. in hoc tract. disp. 15. dub. 4. & contra omnes Thomistas: ergo vel Filius & Spiritus-sanctus in prædicta hypothefi non ha-

haberet duas relationes, quæ essent subsistentiæ, & personales; vel deberent distingui realiter. Sequela probatur: Ideò spiratio activa defecto non est subsistentia relativa & personalis, quia est communicabilis personæ Patris, & Filij; sed spiratio passiva in hac hypothefi etiam essent communicabilis Filio, & Filius esset communicabilis Spiritu-sancto: ergo vel spiratio activa est subsistentia relativa & personalis; vel spiratio passiva in prædicta hypothefi non esset subsistentia & personalis.

Sunt, qui respondeant admittendo totum argumentum, ac proinde Spiritum sanctum in tali casu non esse personam, nec spiracionem passivam esse subsistentiam, sed se habere respectu Filij, sicut activa se habet respectu Patris. Unde sicut Pater ut *talis*, & ut *spirator* non est duplex subsistens, & persona virtualiter diversa; ita nec Filius ut *Filius*, & ut *spiratus* esset duplex subsistens, & persona virtualiter distincta. Sic Ioannes à Sancto Thoma in præf.

Sed huic solutioni non acquiescimus. Quia Spiritus-sanctus in prædicta hypothefi procederet per se primò à voluntate, sicut nunc procedit; aliàs tolleretur suppositio, in qua fundatur tota hæc disputatio: ergo terminaret per se primò volitionem divinam ut actionem virtualiter distinctam ab actione generativa: ergo debet terminari ad aliquem terminum qui subsistentiam, cum non possit (in suppositione quòd esset divina) habere aliquem terminum accidentalem; vel ad minus non se haberet ut proprietatem Filij, de cuius ratione est, quòd fiat per resultantiam, quod erat intentum prædicti Mag. sed prædicta actio non potest terminari ad Filium tanquam ad terminum qui, cum debeamus supponere procedere per intellectum, & non per voluntatem: ergo esset Spiritus-sanctus, & consequenter esset in prædicta hypothefi subsistens & persona.

150. Quare hæc solutio missa: Responderetur, negando sequelam. Cuius probatio non vrget, ob notam disparitatem inter spiracionem activam nunc in Patre & Filio existentem, & spiracionem passivam, quæ in illa hypothefi daretur. Nam spiratio activa respectu Patris se habet ut proprietas illius, & ut talis etiam communicatur Filio: quia actio generativa Filij, quæ per se primò producit filiationem, & illa communicat per se primò naturam divinam, communicat etiam illi quasi secundario & per resultantiam spiracionem activam: & cum alias sit improducibilis, darentur duo innascibiles, duoque prima principia in divinis: quod est falsum, cum hæc sit notio propriissima Patris. Ob hæc ergo non concedimus, spiracionem activam esse defecto subsistentiam, & constituturè personam.

At spiratio passiva in nostra hypothefi verè

produceretur per se primò per aliquam actionem subsistentiam, illique communicaretur natura subsistentialis ex vi illius actionis, sicut nunc defecto communicatur: quod sufficit, ut Spiritus-sanctus esset subsistens & persona. Quod evidenter patet in ipsa filiatione, quæ in sententia huius sapientissimi Mag. constitueret personam, ut intuenti constabit. ¶ Nec obest, quòd sit communicabilis, sicut spiratio activa, quæ nunc datur: quia est incommunicabilis sic de ratione persone nunc existentis, sive in creatis, sive in divinis, respectu omnium aliarum; hoc est, quia vel supponit oppositionem originis ad invicem, vel finitodinem; non verò de ratione persone in omni hypothefi. Spiratio passiva, etiam communicabilis filiationi, in quo convenit cum spiracione activa nunc existenti; differt tamen ab illa in eo, quòd sit per se primò producta, terminetque primario per modum termini qui actionem subsistentiam; quod est proprium subsistentis & persone. Ad sextum satis constat ex dictis in toto hoc dub. & ex dictis num. 144. in solut. ad quartum, & deinceps.

151. Ad septimum argumentum responderetur, quòd in hac hypothefi Spiritus-sanctus esset identice genitus, & Filius; & Filius esset identice Spiritus-sanctus; cum processio per intellectum esset idem realiter tam ex parte recedenti, ex quam parte connotati, tam ex parte principij quo, quam ex parte principij quod, cum processio per voluntatem. Sed pro hæc solutio recolantur, quæ diximus disp. 1. num. 117. ut per ea preoccupetur quadam tacita replica.

152. Vltimo arguitur: Spiritus-sanctus, etiam non procederet à Filio, maneret idem; sed Spiritus-sanctus, qui nunc existit, distinguitur realiter à Filio: ergo etiam in nostra hypothefi. Minor cum consequentia constat. Et maior probatur: Spiritus-sanctus non petit per se procedere à Filio: ergo maneret idem, etiam ab illo non procederet. Probatur antecedens: Nam virtus operativa non petit per se esse in hoc, vel illo supposito, esse in vno, vel in pluribus, quæ constat in operationibus Christi Domini, quæ sunt eiusdem rationis, sive procedant à supposito divino, sive ab humano, sive ab vno supposito divino, sive à tribus: & in omnipotentia divina, quæ de materiali se habet, quòd sit in tribus personis: & ideo effectus creatus esset eiusdem rationis, si produceretur à Deo tantum ut vno, ac si produceretur à Deo ut trino.

Ad hoc argumentum responderetur, negando mai. Ad cuius probationem dicimus, quòd ad rationem formalem effectus tunc se habet de materiali, quòd virtus sit in hoc, vel illo supposito, quando effectus, sive virtus ob aliquam specialem rationem non petit hoc, vel illud suppositum; In nostro casu virtus spirativa, similiterque Spiritus-sanctus petunt ob specialem rationem ex parte principij pluralitatem suppo-

fitiorum: nam secundum propriam rationem potest procedere per amorem perfectissimum amicitia notionalis, qui est perfectissimus inter amores: amicitia vero: cum sit redemptio, nequit salvari sine pluralitate: non amorum, quia hoc importat imperfectionem: ergo personarum seipia invicem redemptio: requiritur: ergo ad virtutem spiritalivam Spiritus sancti per se pluralitas personarum ex parte principij.

Per quod constat ad instantias. Ad primam respondetur, operationes Christi Domini non petere per se ob aliquam specialem rationem aliud suppositum nisi humanam: quod potest suppleri a supposito divino, sive sit vnum, sive tria, ob aequalem praesentiam eminentialem. Idemque habent creature comparative ad omnipotentiam: vel assignent Adversarij. At Spiritus sanctus, cum sit perfectissimus terminus voluntatis divinae, potest per se procedere per perfectissimum amorem, qualis est amicitia, qui nequit salvari sine pluralitate suppositorum ex parte principij. Per quod etiam constat ad secundam.

153 Sed contra hanc solutionem insurgit: ex illa sequi virtutem spiritalivam non esse perfectam in Patre: sed hoc nequit admitti: ergo. Probatur maiorem sequitur, in Patre deficere aliquid ad spirandum: ergo & quod non est in illo perfectum virtus spirativa. Et confirmatur: Ex hoc colligimus, Filium non habere potentiam generativam: nec Spiritum sanctam virtutem spirativam, quia defuit illis conditiones per se requisite ad tales personas, quae sunt paternitas & spiratio activa: ergo si filiatio per se requiritur ad spirandum, sequitur Patrem non habere absolute virtutem spirativam, cum careat hac conditione: hoc est manifestum falsum, cum Pater communicet Filio virtutem perfectam, & actum spirantem: ergo.

Ad primam replicam respondetur, negando sequelam. Ad cuius probationem dicimus, quod est Patri deficit aliquid se habens ve conditio, non tamen se habens per modum virtutis: perfectio autem defumitur a virtute, non a conditione. Et deficit illius optimè colligeretur, virtutem esse imperfectam, quia argueretur esse virtutem non perfectissimam amoris: sicut omnis perfectio potentia generativa est in Filio, non verò potentia generativa, quia deficit connotatum paternitatis. At si hoc connotatum absolute Deo deficeret, argueretur, illam virtutem esse imperfectam, licet perfectio ex illo non accretat.

Ad confirmationem respondetur, concedendo antecedens, sed negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod potentia generativa constituitur in ratione talis per paternitatem ve connotatum. At paternitas, & filiatio non sunt connotata potentiae spirativae, sed requiruntur per se ex parte principij quod. Ex quo

optimè componitur, Patrem non posse sine Filio spirare, & quod habeat virtutem adequatam spirandi.

154 Sed inquires: An Pater, & Filius dicantur duo principia Spiritus sancti, an verò vnum? Ad quod respondet D. Thomas infra quasi, 36. art. 4. Dicendum, quod si attendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, in quantum sunt vnum in virtute spirativa. Si verò considerentur supposita spirationis, sic enim procedit à Patre & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab eis et amor unitivus. Pro quo supponat haec propositio. Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, traditur a D. Thoma art. cit. iuxta regulam traditam disp. praeced. n. 82. quod ex termino adiuncto supponit pro virtute. At in hac, Pater, & Filius sunt principia Spiritus sancti, supponit pro personis: nam, ut aiunt Dialectici Talia sunt praedicata, quae permittuntur à subiectis.

§. IV.

Duobus dubiis fit satis.

155 **E**X hucusque dictis in hoc dubio aperte constat, Patrem & Filium, seipos diligendo, producere Spiritum sanctum. Sed inquires primo: Vtrum in rigore & proprietate sermonis sit verum dicere, Patrem, & Filium se diligere Spiritu sancto, quem producant? Quod debet intelligi de dilectione notionali: nam de dilectione essentiali certum est, se diligere sua essentia, sive amore essentiali, & non Spiritu sancto. Ad quod breviter respondetur, Patrem & Filium se diligere Spiritu sancto, & sic praedictam propositionem esse veram in proprietate sermonis, loquendo de dilectione notionali. Ita D. Thomas hic & alibi. D. August. & communiter Theologi. Et probatur primo ex D. Richardo à Sancto Victore in Additionibus ad D. Bernard. cap. cuius titulus est, Quomodo Spiritus sanctus est amor Patris & Filij: ubi sic ait: Si rectè dicitur, amoris, qui à se procedit, cur non Pater & Filius dicentur amare amore, qui ab ipsis procedit?

156 Pro ratione fundamentali huius rationis est notandum, actiones esse in duplici differentia: nam aliae sunt, inter quas & earum vltimum obiectum mediat, seu intelligitur mediatè aliquis effectus proximus, seu immediatus: ut inter ignem, & lignum mediat calor, quo immediate caletur: inter dictionem, & rem conceptam per illam mediat verbum mentale ve terminus proximus, & immediatus dictionis: inter volitionem & rem amatam mediat amor. Aliae sunt, inter quas & obiectum vltimum actum non mediat aliud, ve inter ge-

nerationem & Filium, inter edificationem & aedificium.

Inter has actiones hoc intercedit discrimen, quod agens per actiones primi generis non solum denominatur ab actione, sed etiam a termino intermedio: sicut ignis dicitur calefaciens non solum calefactione, sed etiam calore producto: & homo dicitur aeternus non solum ipsa dictione mentali, sed etiam verbo, quatenus verbo a se producto dicit rem conceptam. Quod constat non accidere in actionibus secundi generis: non enim dicitur homo generans Filio genito, nec aedificans aedificio. Cuius differentiae ratio est, quod agens per actiones primi generis, non solum mediante actione, sed etiam mediante termino intermedio attingit, & ordinatur ad terminum vltimum: quod non habet agens secundi generis, ut constat.

Ex his sequens formatur ratio: Quando actio attingit finem vltimum medio alio immediato, tunc agens denominatur ab actione, & ab effectu immediato, ut constat exemplis positivis, & exemplo arboris, quo vitur D. Thomas, quae dicitur florere non solum floritione, sed etiam floribus: quia inter arborem florentem, & actionem eius productivam, florum mediant ipsi flores, ut terminus immediatus, cuius quibus arbor seipsum florentem attingit. Sed dilectio notionalis Patris & Filij, medio Spiritu sancto, ve ponderè & inclinatione, transit ad Patrem & Filium, etsi non producendos, bene tamen diligendos: ergo verè & eum proprietate dicitur, Patrem, & Filium se diligere Spiritu sancto.

157 Hinc tamen non fit (ut aliquas objectiones praeviamus) posse dici, Patrem, & Filium spirare Spiritu sancto. Quia licet verum sit, quod dilectio notionalis est idem ac spiratio: tamen, dum significatur nomine spirationis, tantum dicit ordinem ad terminum productum abique termino intermedio: sicut etsi possit dici, Patrem dicere se, & totam Trinitatem, & creaturas Verbo suo: tamen non potest dici, generare se, & alia Verbo genito, propter eandem rationem: licet dicere in Deo sit idem ac generare. Nec potest dici Pater intelligens, aut sapiens sapientia genita: Quia sapere, & intelligere sunt nomina essentialia: sicut nec dicitur Pater & Filius se amare, & diligere Spiritu sancto, si diligere, & amare essentialiter sumantur.

158 Inquires secundo: An Donum dicatur tam essentialiter, quam personaliter: & cui persona competat ex vi suae processionis? Pro quaestione decisionem praeviamus, in quo ratio Domini consistit: quod communiter explicatur à D. Thoma, & Arist. per hoc quod sit: Res alicuius, qui liberaliter eam alteri conferre potest ad usum, aut fructum. Dicitur res alicuius, id est illius, a quo donatur. Cum ergo

tripliciter possit esse res alicuius, vel per identitatem, iuxta illud Div. August. Quid tam tuum est, quam tuum vel per originem, ve Filius est Patris: vel per possessionem, ve servus est Domini: ideo ad rationem Domini sufficit, quod vno ex his modis sit res alicuius. Additur, qui liberaliter eam alteri conferre potest: ut denotetur, tum, quod debet dari omnino gratis, & absque eo quod recompenationem querat, & sic debet esse datio irredimibilis: ut tenet Arist. Defectu cuius datio, qua natura divina communicatur Filio, & Spiritu sancto, non habet proprie rationem Domini, quia scilicet est necessaria, & nullo modo gratuita. Tum, quia ad rationem Domini non est necessarium, quod actu detur, sed solum quod possit dari, adhuc etsi non existeret ille, cui donandum est: & sic dicimus, Regem habere multa dona, etsi actu vlla non conferat, nec exillat, cui conferenda sint. Tandem additur, ad usum, aut fructum, ut denotetur, quod, cum usus circa media, & fructio circa finem sit actus voluntatis, debet esse rationalis ille, cui confertur: quia illi soli, proprie loquendo, fit donum, qui eo usi, & frui potest, & qui sit gratitudinis capax: nam donum gratitudinis obligationem parit in subiecto, licet à donante non intendatur. Hoc igitur praemisso, duplici conclusione resolvitur dubium. Dicendum est primo, Donum in divinis dici tam essentialiter, quam notionaliter, seu personaliter. Conclusio est D. Thomae, & aliorum. Constatque ex illo Ioann. 14. Ad eum veniens, & mansionem apud eum faciemus. Et probatur cum D. Thoma ex descriptione tradita: Quia omnia, quae in illa diximus requiri ad rationem Domini, competunt tum essentiae divinae, tum personis, respectu rationalis creature: ergo donum in divinis dicitur tam essentialiter, quam personaliter. Antecedens probatur: quia imprimis essentia est simplicius, & aliarum personarum per identitatem, sicut & singula persona sunt hoc modo simplicius: & insuper Filius est Patris per originem, Spiritus sanctus est Patris & Filij: & deinde tam essentia, quam persona possunt conferri rationali creature, ab eo cuius sunt, ad usum & fructum: & sic Deus, ve communis tribus personis, dicitur conferri iusto speciali modo per gratiam, Filius humanitati per unionem hypostaticam, Spiritus sanctus confertur à Patre & Filio ipsis, ve medijs charismatibus inhabitet speciali modo in eis: & tandem omnes illae donationes sunt gratuita, & omnino liberales, absque eo quod Deus aliquam propriam utilitatem querat, ut constat: ergo verum est antecedens.

Nota tamen, quod cum Donum sumatur per hoc, quod sit alicuius, ideo iuxta diversum modum essendi alicuius diversificatur ratio Domini: & propterea Filius & Spiritus sanctus, in-

quantum ipsis solis competere esse alterius per originem, ipsi soli possunt dici *personaliter*; essentia vero divina, & omnes personæ, ut sunt vnus Deus, & iustitius per identitatem, dicuntur secundum hanc rationem Donum *essentialiter*, prout distinguitur a Dono precise notionaliter.

160 Dicendum est *secundum*, soli Spiritui sancto competere esse Donum ex vi sue processionalis, & proprietatis, & sic in hoc sensu nomen *Doni* est non personale illius tantum. Ita D. August. D. Thomas, & plerique Theologi. Ratio fundametalis, desumitur ex D. Thoma hic: Spiritus sanctus ex vi sue processionalis habet, quod procedat per modum *amoris*, seu ut amor spiratus; secus verò Verbum, ut supra diximus: ergo solus Spiritus sanctus ex vi sue processionalis, siue proprietatis personalis erit Donum, & primum donum, per quod Verbum, & alia sunt Donum, quatenus ex amore, qui est Spiritus sanctus, donatur. Probatur consequentia: Tum, quia, cum Donum sit ratio irredibibilis, siue absque intentione retributionis, importat gratuitam donationem ortam ex puro liberali amore; & sic hic amor est ratio cuiusvis donationis gratuite, & primum Donum, quod donatur, per quod tribuit illi, cui per amorem vult, alia dona: ergo hoc ipso, quod solus Spiritus sanctus procedat ut *amans*, illi soli conuenit ratio *Doni* ex vi processionalis: nam est tam Spiritus sanctus, quam Verbum, sicut similes Patri; tamen, quia solus Filius procedit ut *Verbum*, de cuius ratione est similitudo cum principio, ideo solum Verbum dicitur proprie *Imago*: ergo pariter in nostro casu, proportionem seruata.

Pro solutione obiectionum, quæ hic poterant fieri: Nota, quod licet in Spiritu sancto sit idem ratio *Amoris*, & ratio *Doni* absque distinctione virtuali; sub his tamen diversis nominibus importat diversos respectus, ut diximus de ratione *Filij*, & *Verbi*: vnde ex ibidem dictis, hic proportione seruata applicatis, solui possunt plures obiectiones.

DUBIUM VLTIMUM, ET APPENDIX.

An detur missio tam visibilis, quam invisibilis inter personas divinas: In quo utraque consistat: Et quibus personis conueniat?

Pro complemento & coronide huius Tractatus malimus huius dubium per modum appendixis pertractare, quod conducit ad viciniam considerationem personarum diuinarum in ordine ad creaturas. De missione personarum diuinarum agit D. Thomas quæst. 43.

*** **

§. I.

Prima assertio.

161 Dicendum est *primò*, dari veram missionem tam visibilem, quam invisibilem inter personas diuinas. Hæc conclusio quoad utranque partem conflat ex pluribus factæ paginæ locis: Nam de missione visibili ad Galatas 4. dicitur: *Misit Deus Filium suum*. Et Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mitto vobis a Patre*. Et de missione invisibili ad Rom. 5. dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Quæ testimonia accipienda sunt in sensu proprio: siquidem ex huiusmodi acceptione nulla sequitur imperfectio, aut absurdum, ut ex solutione argumentorum constat.

Et probatur ratione D. Thomæ deducta ex 1. art. supra dictæ quæst. ad hanc formam redacta: Nam ad veram missionem requiritur, & sufficit processio, seu exitus vnus ab alio cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum; sed aliquibus personis diuinis totum hoc conuenit tam visibiliter, quam invisibiliter: ergo datur vera, & propria missio tam visibilis, quam invisibilis inter personas diuinas. Maior solum eget explicatione. Nam ad missionem quatuor concurrunt, scilicet, persona mittens, persona missa, terminus ad quem, & exitus eius qui mittitur; ab eo à quo mittitur. Item missio invisibilis fit per productionem effectus præcisè interni absque aliquo signo sensibili, ut dum Spiritus sanctus mittitur ad animam media gratia sanctificans; & missio visibilis cum aliquo signo exteriori & sensibili interioris aduentus, sicut in die Pentecostes aduenit Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum in corda discipulorum. Minor verò, in qua est difficultas, probatur: Nam tripliciter potest fieri missio, vel per imperium, sicut Dominus mittit seruum in villam; vel per consilium, sicut medicus dicitur mittere Regem ad balnea; vel per originem, sicut flos emittitur ab arbore, & radius à sole: sed quamvis vna persona diuina non egrediatur ab alia per imperium, aut consilium, quo pacto exitus dicitur imperfectiorem, egreditur tamen per originem per noui effectus productionem, nempe per productionem gratiæ sanctificantis, & utroque modo supra de cripto, hoc est, cum signo sensibili, & absque illo, ut ex dictis patet ergo.

162 Nota tamen, missionem hanc diuinarum personarum esse impropiam & similitudinariam, cuius rationem perspicue tradit Div. Thomas 1. ad Annib. dist. 15. quæst. vnic. art. 2. his verbis: *Missio in diuinis accipitur non proprie, sed similitudinariè. A creaturis verò ad diuina fit translatio similitudinum, quoad ea quæ*

Dub. vltim. & Appendix. An detur missio tam visibilis, quam &c.

que sunt perfectionis, non quæ imperfectionis. In missione proprie dicta creature quatuor reperuntur. Vnus ex parte mittentis, scilicet, auctoritas. Alterum ex parte missi, scilicet, separatio, siue diuersitas eius à mittente. Tertium ex parte termini à quo, scilicet, loci mutatio. Quartum ex parte terminati ad quem, scilicet, effectus aliquis. Primum & vltimum perfectionis sunt; & ideo conueniunt diuine missioni. Secundum & tertium imperfectionis; & ideo non conueniunt personis diuinis. Sed quia auctoritas in mittente respectu missi non est in diuinis personis nisi quatenus vna persona est ab alia; ideo missio in diuinis significat exitum missi à mittente.

163 Arguitur *primò*: Missio adest separationem missi à mittente, iuxta illud D. Hieron. super Ezech. 16. *Quod coniunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest*; sed personæ diuine coniunctissime sunt: siquidem sunt vnus indivisibilis essentia: ergo vna persona non potest mitti ab alia.

Respondetur cum D. Thoma loco proxime relato ad 1. vbi ait: *Ad primum de Hieronymo: dicendum, quod illa auctoritas intelligenda est de inferioribus, ubi propter imperfectionem oportet, quod missum sit separatim, & aliud à mittente, sed non in diuinis, ubi nihil imperfectionis est.*

164 Arguitur *secundò*: Nam Angelis superioribus ratione suæ dignitatis non conuenit mitti: ergo multo minus personis diuinis.

Respondetur, quod Angeli superiores non operantur circa nos, nisi mediante inferioribus; & personæ diuine operantur immediate: ideoque non est contra dignitatem diuinarum personarum, quod ad nos mittantur, quamvis sit contra dignitatem Angelorum superiorum. *Vel dic*, quod si Angeli superiores mitterentur ad nos, locum mutarent, quod est contra eorum dignitatem & perfectionem. Personæ autem diuine, ex eo quod mittantur, non mutant locum. Videatur Div. Thomas loco citat. ad 3.

165 Arguitur *tertio*: Personis diuinis non conuenit missio, nisi inquantum persona missa est nouo modo in creatura ratione effectus producti; sed hic effectus est à tota Trinitate: ergo vel tota Trinitas mittitur, quod est falsum; vel nulla persona mittitur.

Et confirmatur: Nam si aliquibus personis conueniret mitti, missio diceret aliquid notionale; hoc est falsum: ergo. Minor probatur: nam missio importat aliquem effectum adextræ; sed id, quod connotat talem effectum, est quid essentialiale: quandoquidem producit à tota Trinitate ratione aliquid prædicatæ communis ergo.

Ad argumentum respondetur, quod licet Paul. I. cor. Salu. Tom. II.

missio diuinarum personarum non fiat ad nos nisi ratione aliquid effectus de nouo producti à tota Trinitate; est tamen specialis ratio, cur missio competat aliquibus personis, & non omnibus: quia videlicet Filius, & Spiritus sanctus ex vi originis habent producere talem effectum, quod non habet Pater. Et hac ratione Pater habet auctoritatem mittentis respectu Filij, & Spiritus sancti, & in ordine ad talem effectum.

Ad confirmationem respondetur, ex eadem tantum inferri posse, quod missio principalis significet aliquid essentialiale. Per quod non colligitur, quod minus principaliter & ex consequenti significet aliquid notionale: nam licet effectus, ratione cuius fit missio diuinarum personarum, sit à tota Trinitate per aliquid prædicatum commune, prædictus tamen effectus habet produci à Filio & Spiritu sancto per æternam processionem, & ratione illius Pater habet auctoritatem mittentis; processio autem nequit non importare aliquid notionale, ut ex se liquet. Vnde de missio est de genere illorum prædicatorum, quæ simul significant aliquid essentialiale, & aliquid notionale, sicut potentia generativa, & spirativa.

§. II.

Secunda assertio.

166 Dicendum est *secundò*, utranque missionem consistere in aliquo effectum de nouo producto connotante exitum vnus personæ ab alia: cum hoc tamen discrimine, quod in missione visibili visibile signum interuenit, secus verò in missione invisibili: & in missione visibili Filij visibilis creatura fit habet ut terminus ad quem, secus verò in missione Spiritus sancti.

Hæc assertio quoad omnes eius partes traditur à D. Thoma: nam quoad primam tener eam in præf. art. 2. ad 3. vbi ait: *Missio includit processionem æternam, & aliquid adit, scilicet temporalem effectum*. Quoad alias duas partes eam tradit in 1. dist. 16. quæst. 1. art. 1. ad 1.

Quoad primam verò partem probatur ratione: Nam missio diuina iuxta primariam eius acceptionem debet dicere duos respectus, alium personæ missæ ad mittentem, & alterum ad terminum, ad quem mittitur; sed eo ipso consistit in aliquo effectum de nouo producto connotante exitum vnus personæ ab alia: ergo. Maior, in quantum potest esse difficultas, probatur: nam imprimis *missio* in communi significat exitum missi à mittente, & cum persona diuina non habeat alium exitum nisi per originem, hinc est, quod missio diuina importat processionem vnus personæ ab alia: ergo dicit respectum personæ missæ ad mittentem. Deinde: nam per

P 2 aut.

missionem persona missa est novo modo in eo, ad quem mittitur; sed hoc nequit fieri nisi per productionem effectus de novo producti: ergo importat etiam respectum ad terminum, ad quem mittitur.

Quoad secundam partem etiam ostenditur: Nam utraque missio aliquo modo distinguitur; sed missio visibilis non habet aliquod, per quod distinguitur a missione invisibili, nisi per hoc quod in missione visibili intervenit signum visibile, secus vero in missione invisibili, ut ex etymologia utriusque missionis satis colligitur: ergo.

167 Quoad tertiam partem ostenditur etiam ratione: Nam in missione visibili Filij, quæ consistit in assumptione humanitatis, natura humana assumpta est in unitatem personæ; in missione vero visibili Spiritus sancti creatura visibilis, media qua fit illius missio, non assumpta fuit ad unitatem personæ: ergo in missione visibili Filij creatura visibilis se habet ut terminus ad quem ipsius missionis, secus vero in missione visibili Spiritus sancti. Consequentia probatur: Nam terminus ad quem missionis est novus ille effectus receptus in eo, ad quem fit missio; sed eo ipso quod in missione visibili Filij natura humana fit assumpta ad unitatem personæ, secus vero in missione Spiritus sancti, novus effectus præcipue intentus a missione Filij est natura humana, ad quam facta est missio, non vero creatura visibilis requisita ad missionem visibilem Spiritus sancti: ergo. Minor quoad primam partem constat. Et quoad secundam ostenditur: Nam effectus de novo productus, & præcipue intentus a missione visibili Spiritus sancti est sanctificatio; sed creatura visibilis, media qua fit illius missio, est incapax sanctificationis, cum sit creatura irrationalis, ut columba, lingua ignea, & quid simile: ergo. Videatur D. Thomas in 1. dist. 16. quest. 1. art. 1. ad 1.

168 Ex quo colligitur, quod in missione visibili Spiritus sanctus sit novo modo in creatura sensibili præcisè sicut in signo, sed Filius sit in natura humana per unionem substantialem non solum in anima, sed etiam in corpore. Cuius rei reddite Div. Thomas ibi ad 4. quendam congruentiam satis accommodatam: Nam Filius missus est tanquam sanctificationis auctor, sed Spiritus sanctus tanquam sanctificationis indicium: Filius enim missus est, ut esset principium increns nostre sanctificationis, secus vero Spiritus sanctus: ergo Filius debuit mitti ad hoc, ut veniret cum natura humana in unitate personæ, secus vero Spiritus sanctus. Ex quo aliud discrimen utriusque missionis deducitur, nempe quod missio visibilis Filij debuit esse unica, sed missio visibilis Spiritus sancti potuit, & debuit esse multiplex: quia non inconvenit, quod signa eiusdem rei multiplicentur, non tamen conve-

nit, quod missio ad unitatem personæ sit multiplex, ut in 3. part. tradi solet.

§ III.

Tertia assertio.

169 Dicendum est tertio, Patri non convenire mitti, sed soli Filio, & Spiritui sancto. Ita communiter Theologum cum D. Thoma in præf. art. 4. Et patet: quia Pater à nullo procedit, & sic in nulla persona est auctoritas ad illam mittendum. Adde: Quia sicut omne mobile reduci debet ad aliquod primum movens immobile, ita omnis missio ad aliquod mittens non missibile. Unde Filius debet mitti à Patre, quia ab eo tantum originem ducit, & Spiritus sanctus à Patre & Filio propter eandem rationem, sed Pater non habet, à quo mittatur. Videatur D. Thomas in 1. dist. 15. q. 2. art. vnic. & in præf. art. 4.

Nec est simile de datione, seu communicatione (præoccupatur quædam obiectio) quia Pater seipsum communicat cum alijs personis animæ in se. Nam datio non petit auctoritatem, nec distinctionem inter dantem & datum, sicut missio, sed potest quis seipsum dare. Videatur D. Thomas loco citato ex 1. part. ad 1. & 2. & loco citato Sent. quest. 1. art. 1.

170 Nota tamen primo, ex personis, quæ mittuntur, non posse unam mitti invisibiliter sine alia. Ita D. Thomas in præf. art. 5. ad 3. Et probatur eius ratione: nam missiones Filij, & Spiritus sancti, secundum respectum quem dicuntur ad personam mittentem, quam ad effectum in quo mittuntur, sunt inter se connexæ: ergo nequit una persona mitti sine alia. Antecedens probatur: nam imprimis missio dicit respectum ad mittendum ratione originis; sed processiones utriusque personæ sunt necessariò connexæ: ergo etiam missiones, secundum respectum quem dicunt ad mittentem. Deinde: Effectus, in quo simpliciter mittitur Spiritus sanctus aut Filius, est donum gratiæ sanctificantis; sed omnes personæ divinæ quoad hoc donum sunt connexæ inter se: siquidem medio illo substantialiter habitant in anima, ut diximus tract. 1. disp. 4. dub. 4. ergo sunt etiam connexæ, secundum respectum quem dicunt ad effectum, in quo mittuntur. Cum quo rectè coheret, quod missio Filij fiat in gratia, prout est radix donorum intellectualium, & missio Spiritus sancti fiat in eadem gratia, prout est radix amandi Deum, & donorum, quæ pertinent ad voluntatem. Coheret etiam, quod missio Filij secundum considerationem nostram sit prior missione Spiritus sancti: quia tam origo Filij, quam dona intellectualia sunt priora saltem origine processione Spiritus sancti, & donis patris affectivæ:

Di.

Diximus in invisibiliter: Quia si loquamur de missione visibili, planum est, quod una persona potest mitti sine alia. Ratio autem est: quia una persona, ex his quæ invisibiliter, & inseparabiliter mittuntur, potest manifestari per signum aliquo sensibile, quia manifestetur alia, ut dicitur Filius assumptæ carnem humanam in unitatem eiusdem personæ, & Spiritus sanctus advenit in die Pentecostes in specie linguarum ignearum.

171 Nota secundo, quod licet missio invisibilis fieri possit sine missione visibili, missio tamen visibilis nequit fieri absque missione invisibili. Ratio primi est: quia missio visibilis personarum consistit in eo, quod persona missa sit in creatura visibili novo modo, velut in signo missionis invisibilis; sed missio invisibilis potest fieri absque aliquo signo sensibili significante missionem invisibilem, ut ex se liquet: ergo missio invisibilis fieri potest absque missione visibili. Ratio secundi est: nam ut inquit Div. Thomas 1. ad Annib. dist. 16. quest. vnic. art. 1. Sicut processio temporalis præsupponit æternam, & addit aliquem effectum in creatura: sic missio visibilis præsupponit invisibilem & addit aliquam super illam, scilicet creaturam sensibilem.

Sed contra dicta objicies: Nam persona Filij potuit assumere naturam humanam absque dono gratiæ sanctificantis: ergo potuit mitti missione visibili, & absque missione invisibili, & potuit una persona mitti sine alia. Patet utraque consequentia: quia Spiritus sanctus non mittitur nisi in gratia gratum faciente.

Respondetur negando antecedens, si loquamur de potentia Dei ordinaria, de qua hucusque locuti sumus. Si vero sermo fiat de potentia Dei absoluta: dicendum est imprimis, quod Verbum divinum assumens naturam humanam absque gratia habituali substantialiter & invisibiliter esset in illa, cuius signum sensibile esset ipsa natura humana: & hac ratione non esset missio visibilis sine invisibili. Deinde Spiritus sanctus non solum est in anima novo modo, dum habet gratiam habitualem, sed etiam est in ea, dum est sanctificata per gratiam substantialem: Anima autem Christi, quamvis careret gratia habituali, esset tamen sanctificata per gratiam per essentiam, & in ea esset concomitantè Spiritus sanctus: ideoque non potest existere missio Filij sine missione Spiritus sancti.

172 Nota tertio, quod licet, missione sumpta secundum primariam eius translationem, persona missa non possit mitti nisi ab ea, à qua procedit, sumpta tamen in adæquate, secundum translationem eius secundariam, & prout præcisè denotat, quod persona mittens sit principium effectus, in quo fit missio, sic persona missa potest mitti à persona, à qua non procedit, imo & à scripta. Hoc dicitur propter illud celebre testimonium Ista, in quo divina Scriptura cap. 18. dicit: Misit me Dominus Deus, & Spiritus eius. Quæ verba licet plures referant ad humanam Christi naturam, secundum quam missus est à Spiritu sancto ad prædicandum; Augustinus, & nonnulli alij Patres ea intellegunt de ipsa persona Verbi. Pro quo videndus est omnino Div. Thomas in præf. art. 8.

Et potest probari ratione: Nam ad missionem hoc modo sumptam sufficit, quod persona mittens sit principium effectus, in quo mittitur persona missa; sed est Filius (v. g.) non procedat æternaliter à Spiritu sancto, Spiritus sanctus est principium effectus, in quo mittitur Filius: ergo, impta missione in adæquate, una persona potest mitti ab ea, à qua non procedit. Quod hoc exemplo potest declarari: Ad hoc ut aliquis faciat parietem album, non est necesse, quod faciat parietem, sed quod parietem iam existentem faciat album: ita ergo, ad hoc ut Spiritus sanctus faciat, quod Filius à Patre procedens sit in anima per gratiam, non est necesse, quod Filius ab eo procedat, sed sufficit, quod Filium procedentem à Patre faciat existentem in anima per gratiam, producendo ipsam gratiam. Hæc tamen intelligenda sunt de eis personis, quæ absolute procedunt; ideoque Filius mittitur à Spiritu sancto, & Spiritus sanctus à seipso, quia procedunt à Patre. Sed quia Pater à nullo procedit, nequit mitti ab alia persona, nec à seipso: quia missio, quomodocumque accepta, debet connotare originem ab hac, vel illa persona.

Alia, quæ ad missionem divinarum personarum desiderari videntur, reperies enucleata in tract. 1. disp. 4. dub. 4. Hæc sunt, quæ de excelso & abscondito Trinitatis mysterio per speculum & in enigmate videre potuimus. Faxit Deus, ut sicut fide credimus, & corde confitemur, revelata facie videamus.



TRA-